



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitvlaria Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

XXIX. Synodi Tullensis apud Saponarias.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

TITVLVS XXIX.

Synodi Tullensis apud Saponarias.

*HÆC VENTILATA, DEFINITA, ATQVE OBTENTA
sunt in synodo duodecim provinciarum que habita est anno incarnationis domi-
nicæ DCCCLIX. Indictione VII. in territorio Tullensi, sub Principibus Ka-
rolo, Hlothario, & item Karolo.*

CAP. I.

VT caritas fraterna & concordia pa-
cis reformetur inter fratres, Princi-
pes scilicet ac gloriosos Reges nostros
Hludouicum & Karolum, qualiter schif-
ma quod ortum est nuper in Ecclesia, ad
unitatem benignitatis valeat redintegrari,
& status Ecclesiæ penè conlapsus restitui,
& pax ac iustitia in populo Christiano va-
leat procurari, & qui à fidelitate debita
defecerunt, iudicio & iustitia per rectam
rationem & rationabilem misericordiam
possint saluari & à perverso conamine ad
salubriora converti.

I I.

Episcopi namque secundum illorum mi-
nisterium ac sacram auctoritatem uniti
sunt, & mutuo consilio atque auxilio Re-
ges regnorumque primores atque popu-
lum sibi commissum in Domino regant
& corrigant, & nemo se à solatio mutuo
subtrahat, sed synodales conventus secun-
dum iussionem canonicam frequentare
procurent: quatenus ordo ecclesiasticus,
qui quasi oblitteratus jam fuerat, (quo-
niam synodi propter discordiam Regum
frequentari non poterant) episcopali col-
latione ad necessarium ac debitum statum
reduci prævaleat. unde etiam consensum
apud Reges expetitum obtinuerunt.

I I I.

Reges nihilominus ac Principes nostri
Karolus, Hlotharius, atque item Karo-
lus ad Dei voluntatem atque sanctæ Ec-
clesiæ statum, suamque salutem & populi
saluationem, gratias Deo, uniti & in ea-
dem salutari unitate firmati sunt.

I V.

Perventum est ante conventum Episco-
porum quandam Diaconum, cui Tortol-
dus nomen est, episcopalem potestatem
in urbe Bajocacensium occupasse, & pol-
Tom. II.

licitationibus ac minis sollicitare multos
ac perturbare. Vnde definivit sancta syno-
dus ut Wenilo Senonum Archiepiscopus,
cujus Diaconus fuit, adjunctis secum tri-
bus aliis, memoratum Diaconum evoca-
tum audiant, & secundum auctoritatem
canonicam de eo definiant. Si autem refu-
gerit eorum cognitionem, annitente prin-
cipali potestate venire ad audientiam com-
pellatur. Quòd si hanc quoque declinave-
rit, anathemate feriatur.

V.

De quodam etiam Subdiacono Anscar-
rio, qui vivo & incolumi Episcopo civita-
tis Lingonum sedem pervasit, simili est
sententia definitum. Sed intervenientibus
legatis ejusdem Subdiaconi, humanior est
prolata sententia, videlicet ut sacramento
confirmet se nunquam talia hujusmodi
præsumptione facturum. Cujus sacramen-
ti tenorem huic capitulo subnectere dig-
num existimavimus. Ego Anscarius Sub-
diaconus confiteor coram Domino & fan-
ctis angelis ejus, reverentiæ sanctæ pater-
nitatis vestræ, contra Dei voluntatem &
contra canonica statuta temerè me fecisse
in Isaac venerabilem Pontificem, usur-
pando sedem Ecclesiæ sanctæ sibi commis-
sæ Lingonicæ, & sollicitando Clericos &
vassallos ejus omnemque familiam. Atque
ideo pro tantæ præsumptionis excessu, per
facri ministerij vestri vobis largitam à Do-
mino potestatem veniam mihi pœnitenti
largiri suppliciter deprecor. Deinceps ve-
rò nec in eundem antistitem nec in alium
quemlibet nec in illa nec in alia Ecclesia
hujusmodi præsumptionem facere tentabo
& neque illi aut alicui suorum Clericorum
aut laicorum in aliqua re impedimentum
faciam pro hac causa, quia me graviter
deliquisse confiteor. Neque insidias eis ul-
lius inquietudinis parabo neque per me
neque per aliquem meorum propinquo-

rum nec per quemcumque hominem; sed potius adiutor pro viribus & intelligentia ipsi suisque ero, prout sibi placuerit. Et qui sibi pro hoc ipso inimici sunt, quos ipse voluerit, si potuero, eidem procurabo. Sic me Deus adjuvet & ista sancta sanctorum reliqua. Statuit etiam sancta synodus ut nunquam ad eandem Lingonensem Ecclesiam, sive ad Ianuacensem, quam jam pridem pari modo adfluxerat, debeat adspirare. Et si ita ut praemisimus iussis episcopalis obedire refugerit, sententiam superius Diacono datam incurrat.

V I.

Vide infra
tit. 30.

Deinde gloriosus Rex Dominus Karolus sacrae synodo libellum appellationis electorumque iudicium inter se & Weni- lonem Senonum Archiepiscopum, qui ab eo defecerat, & proclamationis diploma porrexit. Vnde secundum sacram auctoritatem, & induciae ac dierum dilatio est concessa, & certa accusatio per Episcopos & synodicas literas praefato Archiepiscopo est intimata secundum regulas divinitus promulgatas.

V I I.

Mota est etiam quaestio de Attone Vir- dundenis Episcopo, quod oblatione regulari (unde petitio ibidem est presentata) in monasterio sancti Germani Autissiodorensium extiterit, & contra regulas ecclesiasticas inde discedens, minus provisae quam sacra auctoritas doceat, ad ordinem episcopalem pervenerit. Vnde etiam definitum est dari sibi commeatum veniendi ad aliam synodum, sicut sacra sancit auctoritas.

V I I I.

Ad Episcopos siquidem Brittonum, qui se contra auctoritatem a metropoli sua moluntur discindere, synodus literas secundum auctoritatem sacram direxit quatenus ad suam metropolim redeant, eisque debito jure se subdant, nec a canonica & episcopali communione se segregent. Excommunicatis etiam, sicut sacrae decernunt regulae, nequaquam communicent, & Salomonem commoneant ut promissam fidem glorioso Regi Karolo observet, & ipse & Brittones communicantes ipsi se sacra communione non privent.

I X.

Ad memoratos quoque excommunicatos sancta synodus literas direxit, eisque usque ad futuram proximam synodum corrigendi spatium tribuit, monens ecclesiastica pietate ut convertantur & vivant: quia nisi se correxerint, in futura synodo

generali unanimitate anathemate terribili ferientur.

X.

Relecta sunt denique in eadem synodo quaedam capitula super quibus quorundam fratrum sensus dissentire probantur. Vnde convenit inter Episcopos ut Deo favente pace ac tranquillitate recuperata simul conveniant, & prolatis sanctarum scripturarum atque catholicorum doctorum sententiis, quae saniora sunt concordiam unanimitate sequantur.

X I.

Tandem postulavit humiliter synodus generalis, se ad terram usque proferrens ante Karolum Regem & Rodulfum Biturigum Archiepiscopum, obsecrans & adjurans per crucem & Christi sanguinem ut privilegium monasterii sancti Benedicti, quod annuente Rege praefato firmaverant, quodque idem Rodulfus subscripserat, qui praefatam abbatiam irregulariter tenebat, ratum & inconsummum servare studerent. Quod si Abbas negligens & sacris regulis inconveniens per directos Millos inventus fuerit, ab eadem paternitate removeatur, & alius qui dignus re- pertus fuerit substituat, & privilegij regularis auctoritas in eodem monasterio quacunque occasione non deficiat.

X I I.

Haec de praecipuis in eadem sacra synodo fuere statuta. Ceterum specialia de quibusque parrochiis, prout visum fuit, secundum ecclesiasticam auctoritatem definita, & Episcopis in propriis parrochiis sunt ad exsequendum commissa.

X I I I.

Placuit omnibus, ut creditur instinctu divino, qui ad universale Concilium in vicinia Tullensium confluxerunt, quoniam calamitatum taedio laborabant, quo invenirent aliquid ubi consolationis gratia respirarent. Statuerunt itaque ut pro se invicem omnes, dum adviverent, preces huiusmodi frequentarent. Scilicet ut singuli pro cunctis per singulas hebdomadas feria quarta Missam celebrarent. Post vocationem autem cujuslibet eorum, superstites obtineant ut pro eo qui decesserit, in sedibus septem Missae totidemque vigiliae Domino persolvantur, a Presbyteris autem monasteriorum sive villarum tres Missae totidemque vigiliae dependantur. Exitus autem uniuscujusque vicissim piis currentibus litteris innotescat. Praesentes etiam Abbates in tam profutura societate recepti eadem se conditione junxerunt.